

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**De Eo, Quod Nimium Est Circa Fiduciam Dei Pauca
Disserit**

Herbart, Johann Michael

Oldenburgi, [März 1747?]

VD18 13536184

urn:nbn:de:gbv:45:1-19606

DE

EO, QUOD NIMIUM EST
CIRCA FIDUCIAM DEI

PAUCA DISSERIT

SIMULQUE

OMNES, QUI LITTERAS TUENTUR
FOVENT ET AMANT,

UT

ACTUI ORATORIO

DIE XIII. MART. HOR. VIII. MATUT. 1747

A

SEX HUIUS SCHOLÆ CIVIBUS
ACADEMIAM PETITURIS

INSTITUENDO

GRATIOSE AC BENEVOLE

INTERESSE VELINT

SUBMISSE ATQUE OBSERVANTER


ROGAT

JOH. MICH. HERBART,
RECTOR.

OLDENBURGI,

TYPIS B. JOH. CONR. GÖTJEN, REG. DAN.
PRIV. TYPOGR. HERED. RELICT.





B.I.G.

Farbkarte #13

Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

OLDP
RIV. TYOOR
TYPIS B. JOH. CONR
SOM NICO
SUSMISE ATO
GATIOSH
ACADIMIA
SEX HUIUS SC
DIE XIII. MART.
ACTU
FORNATA
ONVAT. CUI
LUDA
CYRCA HE
BO. DEOD





Si quis, Deum pro omniscientia sua optime nosse, quid unicuique hominum conducat; pro infinita sapientia perspectum habere, qua ratione pro rerum cuiusque statu id effici commodissime queat; pro omnipotentia id, quod optimum est, exsequi posse; idemque pro immensa bonitate exequi velle, ex ratione pariter ac divinis oraculis intime persuasus fuerit, ac convictus: non dubitabit amplius, siquidem ipse eo non indignum se reddat, tantum boni, quantum optimi mundi fert ratio, sibi destinatum esse; adeoque de futuro haud omnino sollicitus hilari semper ac læto erit animo. Atque hæc quidem frontis serenitas animique lætitia fiducia Dei recte dicitur. Quemadmodum autem omni virtuti duo contraria sibi vitia vicina sunt, quæ in eo consistunt, ut aut parum aut nimium fiat; ita cum fiducia, quæ in Deo ponitur, pariter comparatum est. Qui sua sorte non contentus, futuri anxius, in rebus

adversis querulus atque impatiens, & secundæ alterius fortunæ invidus est; itemque omnia aut necessario, aut fortuito evenire persuasum sibi habet; is vel omnino non, vel parum certe Deo confidit. De eo vero, quod circa eandem fiduciam est nimium, pauca his pagellis differere, mihi constitutum est. Ne autem in pertractanda hac materia præcipientes ruamus; immota inprimis principia, quibus tanquam firmo nitamur talo, ea scilicet, quæ recta ratio de Deo, anima ac mundo tradit, fundamenti loco ponere nos oportet. Ad proprietates divinas quod attinet, nemo non, rationis omnis nisi expers sit, arctissimo illas inter se contineri vinculo, adeoque nullo modo disjungendas esse, concesserit. Omnipotentia igitur summi Numinis ad omnia, quæ sibi inuicem non repugnant, extenditur; atque immensa ipsius bonitas ad communicandum cum rebus creatis præsertim vi sentiendi præditis tantum boni, quantum fieri potest, eum impellit: utraque autem proprietas in agendo summa temperatur sapientia. In ea enim rationem inuenire licet, quare Deus id tantummodo quod omnium, quæ fieri possunt, est optimum, eligat & in apricum producat; quare justo ordine & via brevissima, præter saltum tamen, omnia procedant. Tum vero & ea sapientiæ est ratio, ut Deus tantundem boni cuius rei creatæ conferat, quantum ipsius fert conditio & optimus rerum omnium nexus; imo vero, ut, quod simul iustissimum est, destinatum bonum istis hominibus, qui peruersis moribus eo indignos se reddunt, rursus auferat. Quod si mundum adspectabilem animasque

masque mortalium consideremus; expedita non minus res est, cum corporum essentiam, tum animarum, esse immutabilem. Quam ob rem fieri haud potest, ut vel corpus, vel anima efficere quicquam possit, quod ipsorum repugnat essentiae. Neque adeo ardere anima, neque lignum cogitare valet. Certum porro est, vim cogitandi animae a natura datam ad certas accommodatam esse regulas, ita quidem, ut ea nonnisi per certa organa, nec aliud quicquam, nisi quod organa ista ferit, sentire queat. Quodsi autem id aliquando contra fiat, referendum esset inter miracula, quae Deum non patrare, nisi urgente necessitate, apud omnes constat. Corporum atque mundi ex iis compositi eadem est ratio. Observamus enim cum leges generales, ad quas omnium corporum motus conformari solet, tum speciales, quas hoc vel illud corporum genus movendo sequitur. Corpora, ex quibus orbis terrarum, quem incolimus, compositus est, & quae eum ambiunt omnia, nisi quid obstat, vi summa ad terrae centrum semper propelli, de eo certe nemo dubitat. Quis quaso unquam lapidem vi propria in auram provolantem vidit? quis unquam globulum ex molliori argilla confectum, cum in durum corpus alliditur, non complanatum fuisse, ex pertusum est? Quem fugit, nisi fortasse sibi ipse contradicere velit, elementa physica, ex iisque composita corpuscula iisdem semper praedita esse viribus, eosdemque semper producere effectus? De igne, aqua, sulphure, sale id certe in vulgus notum est. Nec minus vero hominum conditio variis limitibus circumscripta, & diversa soli

visum

A 3

natura

natura probe attendenda sunt. Nonnullis locis solum fertilius est, quam aliis. Solum fertile plures melioresque fruges profert, quam sterile. Salubrior unus locus est altero: vnus a natura homo firmiore gaudet valetudine, altero. Quid multa? nullum omnino existere effectum sine præcedente causa, nec absque interuentu mediolorum finem consequi quenquam posse, testis omni exceptione maior est experientia. Atque hic quidem est ille sapientissimus rerum ordo a Deo constitutus, quem non, nisi urgente necessitate, mutari, cuius iusto rerum æstimatori facile patet. Vnde mirum non est, hodie, cum necesse non sit, vt Deus sanctissima sua oracula jam dudum obsignata nouis miraculis confirmet, nihil tale apud eas gentes, vbi decipi homines difficile est, audiri. Jam in promptu nobis erit, id, quod circa fiduciam Dei nimium est, definire. Summatim scilicet omnes illi fiduciam hanc plus iusto extendunt, qui, heroum Homeri & Virgiliti instar, sapienti ac constanti rerum ordine posthabito, sine causarum naturalium interuentu, sibi ex ipsa quasi Dei manu ea, quæ sibi expetunt, impertitum iri, somniant, &, quod eodem redit, a Deo exigunt, vt nouum mundum producat, in quo sibi & familiæ suæ peculiariter prospectum sit. Sane isti homines nonne valde inique agunt? Quid tum, si idem alii jus postulent? Quanti exorerentur tumultus? pejores forsan Genuensibus, Plurimi certe mortalium principes esse mallent, quam rustici. Imo vero plerisque idem, quod Midæ eueniret, vt quicquid attingerent, aurum fieret. Vix crederes, eo stultitiæ vltos hominum progressos esse: sed quid
magis

magis solenne est, quam ut incolæ eiusdem pagi, quorum pars montem, pars vallem incolunt, eodem tempore solem & pluuiam simul expetant. Venit mihi in mentem recordari, viduam quandam in vicino oppido, ubi tunc commorabar, nocturno tempore ab ancilla, strepitum audiri, fortasse fures adesse, monitam confidenter respondisse, Custodem Israelis nec dormire, nec dormiscere. Merito autem sanctæ huius simplicitatis & vanæ fiduciæ pœnas dedit ista vetula, omnibus vasis argenteis ablatis a furibus. Tam stolidam fiduciam recte dixeris Turcicam. Audiamus Busbequium in epistolis suis pag. 238. *Reuertor nunc ad pestem, quam sub eodem tecto nobiscum versantem reliqui. Cuius vitandæ gratia mitto ad Rustanum rogatum, ut mihi ejus permissu aliquo migrare liceat, ubi sim extra metum aëris contagio infecti. Quod quidem faciebam diffidenter, quod erat mihi cognitum eius ingenium: faciebam tamen, ne viderer in mea meorumque valetudine tuenda fuisse negligentior.* Respondit Rustanus, se relaturum ad Principem. Postridie renunciat, eum sic respondisse: quid mihi vellem, aut quo cogitarem? an nescirem, pestilentiam sagittas esse Dei, quæ a proposito scopo non aberrarent, ubi ubi delitescerem, ut ab ejus teli jactu tutus essem? si me percussum vellet, nihil fugam, nihil latebras profuturas. Frustra vitari, quod evitari non posset; suas edes ne nunc quidem peste vacuas, in quibus nihilominus maneret: me quoque facturum rectius, si me loco non mouissem. Sic mihi in domo funesta & peste contaminata manendum fuit. Pejor aliquantum Turcis videtur hac in re esse conditio

tio

tio plebis Pontificiorum (plebem dico: absit enim, ut
 viris cordatis & emunctioris nasi talia imputemus)
 quippe quæ in Sanctis quoque suis & Maria virgine
 tantam fiduciam collocat, ut desperatis rebus certis-
 simum ab iis expectet auxilium. Paucis ante annis,
 cum navis nomine Wager insignita ex classicula Bri-
 tannorum bellica, cui præerat Ansonius, in fretum Ma-
 gellanico fracta esset; classiarii, exstructo minori nauig-
 io repetentes patriam, cum appulissent ad Rio de
 Janeiro, ex parte in navem quandam Lusitanicam re-
 cepti sunt. Quæ cum haud procul abesset Lisbona,
 oborta tempestate, vehementer concussa adeo hinc
 inde hiabat, ut vix aqua exhauriri posset. Nautæ
 igitur animo destituti, relicta antlia, ad Bonam Ma-
 trem (Mariam) supplices confugiunt mirum quantum
 vouentes, si laborantes conseruasset. Ita cæcutiunt
 hominum animi nimia vanaque fiducia obtenebrati.
 Britanni viri fortes & a superstitione alieni, qui peri-
 culo defuncti gratias agere solent supremo Numini,
 non desinunt enixe rogare Lusitanos, ut ad laborem
 redeant. Quo facto navis servata fuit. Qui aliter
 sentiunt, ac Britanni isti, plane non perpendunt, quid
 sibi velint eximiæ facultates & vires, quibus benignis-
 simum Numen animam pariter ac corpus hominum
 instruxit. Viribus hisce si non vtantur, quem deinde
 jure incusare possunt, cum rebus desperatis stultitiæ
 pœnas soluunt? Quodsi sapientissimo universitatis opi-
 fici visum fuisset, nulla interveniente causa & præter
 ordinem alere & servare homines æque ac bruta ani-
 malia; non opus fuisset tanto apparatu, & tam stu-
 penda

penda causarum & mediorum serie, quam vbiq̄ue deprehendimus. Profecto miseri isti homines, qui neglectis subsidiis diuina nituntur prouidentia, similes sunt isti fanatico, qui ne cibum quidem sibi parari patiebatur, eo extendens suam in Deo fiduciam, vt cibum de cælo demissum expectaret. Quis negaret, huic stulto fame pereundum fuisse, nisi prudentior vxor, placenta subter mensa collocata, monuisset virum, circumspiceret saltem; Deum fortasse cibum in aliquo posuisse angulo? Eadem fere ratio eorum est, qui graui morbo laborantes opem medicam penitus respuunt, Deum solum & optimum esse medicum jactitantes. Falsa hæc nimiaque fiducia inde, credo, proficiscitur, quod, quæ in corporis vasis internis peraguntur, oculos subterfugiunt: nam in chirurgicis operationibus, quæ oculis subjiciuntur, quantum equidem scio, res longe aliter fit. Læsa arteria fatentur omnes, homini sine dubio pereundum esse, nisi a chirurgo vulnus obligetur: neque enim vnquam Deum ipsum per se chirurgi munere functum esse, experti sumus. Nonne autem ridiculum est atque absonum, in eodem rerum statu videre simul & cæcutire velle? Certe quid sibi velint, ipsi nesciunt hebetioris ingenii homines. Videri volunt Deo confidere & subsidia ab ipso suppeditata repudiant. Nonne perinde est, ac si mendicus oblatum cibum accipere manibus recuset & postulet, vt ipsi in os ingeratur? Facile intelligimus, eiusmodi homines non solum potentiam & bonitatem Dei a sapientia sejungere, sed nec a posteriori de mundo & anima hominis eiusque

B


facul-

facultatibus iustas ideas sibi formasse. Qui enim alio-
 quin fieri posset, ut sibi pollicerentur, Deum exhibi-
 turum, quod a rerum essentia, natura, ordine, mo-
 tusque regulis recedit, neque a naturalibus elemento-
 rum viribus expectari potest. Est utique, quod sibi
 magnopere gratuletur respublica, quod, qui ei præ-
 sunt, ad vulgarem istum popularemque sensum se
 nondum accommodauerint. Alias enim pestilentiam,
 qua homines pariter ac bestia quandoque corripuntur,
 longe lateque grassari atque sæuire sinerent; ma-
 ris æstui tales aggeres, quales nostra Butjadia diuinæ
 prouidentia administris debet, haud quaquam oppo-
 nerent; perinde esset, siue ædes ex lignis siue lapidi-
 bus exstruerentur, siue stramine siue tegulis tectæ
 essent; nihil interesset, utrum corpus a frigore atque
 æstu, & turris, in qua puluis nitratus asservatur, a
 fulmine defenderetur, nec ne? Neque vero inficias
 eo, si velit, omnia hæc Deum ipsum per se, nulla
 interueniente alia causa, efficere posse; neque omnino
 abnuo, eum adhuc hodie interdum, siquidem salua
 sapientia fieri possit, & urgeat necessitas, ab ordine
 naturæ recedere: sed eo vsque fiduciam nostram ex-
 tendendam esse, nego ac pernego. Id enim ad effa-
 tum sospitatoris nostri esset Deum tentare. Cælestis
 ipsius pater præter naturæ ordinem & aduersus vim
 centripetam seruare potuisse eum præcipitatum, quis
 dubitet? at enim vero prudenter respondet Satana
 prouocanti: scriptum est: Dominum Deum tuum tenta-
 re non debes. Sacrae quidem litteræ multa ubique mi-
 randi Dei auxilii documenta ob oculos nobis ponunt.

Disci-

Discipulis suis Christus promittit, eo ipso temporis momento, quo dicendum ipsis esset coram principibus, datum iri, quæ loquerentur. Nonne autem maxime ridiculum esset, si nostris temporibus studiosus theologiæ in litteris parum aut mediocriter versatus hoc exemplum ad suas partes traheret & Deum in examine instituendo extra ordinem ipsum adjuturum esse confideret? Cæterum quando diuina oracula nos ad fiduciam in solo Deo ponendam excitant; causas secundas minime ea excludere, per se patet: nam in hac ipsa causarum serie a Deo sapientissime constituta continetur ratio fiducia & modus. Interim caute omnino hac in re versari decet. Non ideo illudendi sunt scilicet simplices, sed, siquidem opus sit, summa circumspectione in rectam viam ducendi. Interdum prorsus tacere præstat, quod tanta animorum quorundam est infirmitas, ut, cum totum veritatum nexum intueri nequeant, facile eo delabantur, ut omnem fiduciam abjiciant. Ansam huic tractationi suppeditavit mihi doctrina de superstitione, de qua, prælucente Buddeo in thesibus de Atheismo & superstitione, aliquot Scholæ nostræ alumni, qui absoluto curriculo scholastico in spem patriæ ad altiora adspirant, vale dicturi verba facient, & quidem

ANTON ZEICH, Varelensis, fermone latino, *de iis superstitionum generibus, quæ directe circa Numinis cultum versantur.*



STEPHANUS GRAMBERG, Elsfleetensis, lingua vernacula, *de iis superstitionum generibus, quae indirecte circa Numinis cultum versantur.*

DIEDERICH CONRAD KUHLMANN, Oldenb. eadem lingua, *de causis superstitionis.*

JOH. CHRISTOPH. GRAMBERG, Oldenb. eadem lingua, *de effectibus superstitionis.*

TOENIES MENCKE, Elsfleth. eadem lingua, *de proprietatibus superstitionis.*

JOH. WILH. ANT. SCMEDES, Neoburgens. latina lingua, *de remediis superstitionis.*

Quos vt Mæcenates, Patroni & Fautores rei scholasticæ gratiose ac beneuole audire velint, ea, qua decet, submissione atque obseruantia etiam atque etiam rogo.

